

I. N. D. N. J. C.  
THESES JURIDICÆ  
Ex Materia  
DE  
**USUCAPIO-**  
**NIBUS**  
**DELIBATÆ**  
*Quas*  
*Adjuvante Divino Nume*

SUB PRÆSIDENTIO  
VIRI Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi  
atque Excellentissimi  
DN. JOHANNIS HENRICI  
BOECLERI,  
U. J. D. & Juris Publ. Profess.

SOLENNI Eruditorum Examini subjicit  
d. 19. Mensis Decembris M DCC XVI.

JOH. FRANCISCUS SPON,  
Argent. Autor & Respondens.



ARGENTORATI, Literis DANIELIS MAAGII.

Diss. jur. civ.


424,20

Optimo  
PARENTI  
Suo,  
in integerimæ, quæ  
natum decet,  
observantiæ,  
ut &  
æternæ gratitudinis  
ob innumera  
in derivata beneficia,  
signum  
præsentem hanc  
thesin

*dat, dicat, dedicat*

filius obsequiosissimus

JOHANNES FRANCISCUS SPON.



## Quæstio Prima.

*Usucapio unde orta , quare in-  
troduceda , & an justa sit ?*

**A**Beo Etymologiam  
trahit usucapio , quod per  
usum aliquid capiat , vel auferat ,  
usus enim seu possessio per tem-  
poris lapsum priori domino  
rem adimit , & in aliud trans-  
fert ; pariter quoque temporis præscriptio a præ-  
scribendo sic dicta , quod a jure termini præscri-  
bantur intra quos sub poena amissionis dominii a  
domino fieri debeat repetitio rei suæ . Recensem-  
tur hi duo acquirendi modi inter singulares , & olim  
ab invicem multum discrepabant , in recentiori ve-  
ro tempore promiscue assumuntur : magnam enim  
affinitatem habent , quippe secundum eadem prin-  
cipia easdemque conditiones regulantur , nisi quod

A 2

stri-

stricta usucapio rerum sit corporalium, præscriptio vero jurium ceu rerum incorporalium: ad earum introductionem occasionem dedit bonum publicum cuius intuitu & respectu Jus Civile legitime præscribentes titulo usucaptionis munit aduersus Dominos demum post temporis lapsum rem suam vindicantes, voluit enim eorum negligentiam punire, præterea suadebat naturalis ratio ut non toleraretur res diu incultas jacere, ut securæ tandem redderentur possessiones, ne cum homines ad dissentendum sint faciles, alter alteri sæpius movere posset querelam de rerum possessione & dominio. Non obstat *L. nam hec natura.* 14. ff. *de Condict. indeb. &c. locupletari* 48. *de Reg. jur. in 6.* ex quibus inferri potest, præscriptionem juri naturali esse contrariam, cum jus naturale disponat, neminem debere cum alterius jactura locupletari, quod argumentum in casu præscriptionum refutatur: ille enim jacturam pati non videtur, qui culpa sua quid amittit, & econtra juri naturali convenientius est tale remedium, cum poenam negligentibus & finem litibus imponat. Pariter etiam oppugnare nos videtur, quod usucapio in *Novell. 9. Proæm.* impium præsidium dicatur, quod quidem transire potest, si ratio habeatur utilitatis privatæ, secus si publicæ, quæ cum privata concurrens jure prælationis gaudet. Ita quoque minus consentire videtur. *L. II. de Reg. jur.* quæstabilit sine facto nostro rem nostram ad alium pervenire non posse, cuius legis veritas non negatur, si de omni facto intelligatur tam vero quam præsumpto, in materia autem præscriptionum jura fingunt factum in-

intervenisse, quale ideo præsumptum dicitur, aut tale quod ex patientia domini infertur. Procedunt ergo usucapiones, cum justæ probentur non in foro soli solum, sed & in foro Poli, modo scilicet ut sequens quæstio decidet, ad juris Canonici ductum fuerint continuatæ.

## Quæstio Secunda.

### *Quæ sint usucaptionis Requisita?*

**Q**uemadmodum materia naturaliter sine forma; eum ad modum usucatio sine essentialibus suis, sive quinque requisitis conditionibus subsistere nequit, sunt autem bona fides, titulus justus, res præscriptibilis, continuatio possessionis & legitimum tempus; addunt alii traditionem possessionis, idq; inferunt ex l. traditionibus 20. C. de pact. ubi dicitur traditionibus non nudis pactis dominia rerum transferri; sed nihilominus casus se offert in quo usucaptionem traditio non antecessit, in hærede scilicet apud defunctum quid alienum inveniente. Quantum ad bonam fidem, dissentit Jus Canonicum a Civili, jure enim Canonicō omni tempore ad completam usque usucaptionem bona fides ut adsit oportet, secus de jure Civili, & licet opponi possit præscriptionem juris esse Civilis adeoque secundum ejus normam debere regulari, nihilominus Juri Canonicō

standum, cum in materia præscriptionum de peccato agatur, ubi autem conscientia pericitatur, illic Juri Civili præfertur jus Canonicum. Secundum usucaptionis requisitum est justus titulus, nec attendi debet, quod dicatur sub tali titulo errorem latere, cum res a non vero Authore aut potius Dominio transferatur; hic enim sermo non est de titulo vere & ex se solo dominium alienante, sed de eo solum qui saltem ad id habilis est, ut dominium transferri queat, ut sunt titulus empti venditi, donati, aliquique hujus generis innumeri, hinc non ratione rei traditæ respicitur titulus, sed ratione personæ firmiter credentis se rem a vero domino & ex justa causa recipere, nec refert an cum onere an cum lucro. Tertium usucaptionis requisitum est res præscriptibilis, seu talis quæ præscribi non prohibita. Præscriptio enim non cadit nisi in res aptas, & habiles præscribi, a quibus excluduntur eæ quæ in hominum commercio non sunt, sive quæ dominio nostro subjici non possunt, quemadmodum res sacræ, ut vestimenta, calices, & alia vasæ sacra, quæ nec in dominio Ecclesiæ esse dicuntur, præscriptiones autem inventæ sunt, ut jus creatum in alium transferant, non ut jus novum inducant. Aliæ autem res impræscriptibiles dicuntur, quæ præscriptionem nihilominus patiuntur, ut sunt res furtivæ, vi possesse, & res fisci, quæ spatio 40. annorum in potestatem præscribentis cadunt, unde distinctio facienda inter præscriptionem in specie sic dictam quæ in mobilibus requirit triennium, in immobilibus 10, aut 20. annorum, & in genere, sive extra-

extraordinariam , cuiusmodi exempla nonnulla se-  
quens quæstio dabit. Quarto continuationem pos-  
sessionis postulat usucatio , ( sine possessione enim  
præscriptio non procedit , ) & quidem continuam ,  
ita ut ne momento quidem possessio interrumpa-  
tur , nam interruptio possessionis facit , ut inchoata  
præscriptio rumpatur , sitque de novo a tempore  
interruptæ possessionis inchoanda : quæ locum ha-  
bent in possessione tam naturali quam civili ; possessio  
autem continua dicitur , etiamsi ab uno ad alium suc-  
cessorem transferit , etiam quomodounque , id est an  
ex titulo universali , an ex singulari , nec refert si per  
nos aut per alios possideamus , veluti per filiumfa-  
milia , procuratores , Colonos , nam & per hos ac-  
quiri & retineri possessionem docent textus expressi  
in l. i. §. item acquirimus & §. ceterum & §. per pro-  
curat. ff. de acq. pos. l. i. & l. per procurat. 8. C. de acq.  
Circa hoc Requisitum quæritur qualiter probari debe-  
at continuatio possessionis , de quo ordinaria est omni-  
um Doctorum doctrina , præsumi possessionem con-  
tinuam ex annali fructuum perceptione per 10. 20. &  
30. annos continuata , sicut etiam ex agricultura ,  
& satione fundi alicujus ; probatur quoque proba-  
tis extemitatibus temporis ad præscriptionem re-  
quisiti , principio scilicet & fine , adeo enim pro  
possidente pta sumptio , cum probatis extremis me-  
dia præsumantur . Quoad ultimum præscriptionis  
requisitum , hoc cum uniforme non sit , sed secun-  
dum præscriptionis naturam varietur , ex solis  
præscriptionum speciebus erit desumendum ; unde  
sit.

Quæstio

## Quæstio Tertia.

*Quæ tempora in præscriptione necessaria, & quæ eorum varietas?*

S'Ufficit generalem allegare distinctionem, hoc  
est, quod præscriptionum alia sit parvi temporis,  
ut ea quæ triennium aut aliquot annos infra vel  
supra desiderat, qualis occurrit in mobilibus, et  
jam Ecclesiasticis, quod ultimum nonnulli Canoni-  
stæ oppugnant, major tamen pars versus affirmati-  
vam inclinat, alia dicatur longi temporis quæ in  
immobilibus obtinet, estque 10. vel viginti anno-  
rum, qualis in Ecclesiasticis non procedit, quippe  
quæ 40. annorum spatum ad sui præscriptionem  
desiderat. Hac occasione controversia movetur  
quare Ecclesiastica bona si mobilia triennio, si im-  
mobilia decennio non, sed 40. annis præscribantur,  
& quare illa ordinariam sequuntur usucationem  
hæc vero extraordinariam præscriptionem? ad  
quæ respondetur, quod mobilia non tanti sint  
ponderis ut a communi regula immunia censem-  
tur, quod secus in immobilibus, quæ conservare  
multum expedit, cum exinde ad subsistendum Ec-  
clesia firmior reddatur, & consequenter Divinus  
cultus augeatur. Alia adhuc præscriptio est longissimi  
tem-

temporis ea nimirum quæ aut 30. ann. est, quemadmodum omnes fere actiones præscribuntur, nisi minori tempore fuerint limitatæ, aut 40. qualis est actio hypothecaria quando agitur contra ipsum debitorem. Datur etiam præscriptio centenaria qua unice gaudet Ecclesia Romana, summus nimirum Pontifex, idque tam in patrimonialibus bonis, quam iis quæ ex Pontificatu proficiscuntur.

Præscriptio alia est immemorialis, cuius initii scilicet memoria non exstāt ad quam proxime accedere centenaria posset, procedit autem hæc in imperiis, aliisque juribus quæ non nisi ex speciali privilegio competere possunt.

## Quæstio Quarta.

### *An dubitans possit usucapere?*

Quæstio hæc sequela est illius quæ 2. loco tradita, ubi de bona fide dictum, nunc autem controversia est, quid de dubitante sit statuendum, an & is usucapiendi capax. Pro negativa certare videtur positio secunda, quæ necessitatem bonæ fidei probavit, qui vero in dubio est, dici bonæ fidei possessio nequit, cum bona fides firma opinio sit credentis se rem a vero domino recepisse, dubitans autem, tali opinione non potest credere, unde nec bonam fidem habere, ergo nec præscribere,

B

ex

ex quo quidem non incongrue infertur, quod re-  
vera titubans usucapere non possit si usucacionem  
dubium præcedat, secus si inceptæ postmodum su-  
perveniat, quod ultimum adhuc subdistinctionem  
patitur, est enim discernendum in quam potissi-  
mum opinionem possessorem rationes magis mo-  
veant atque inclinent, si in eam ut credat se esse  
dominum pro bonæ fidei, sin in contrariam pro  
malæ fidei possessore habendus. Dn. Lauterbach  
differentiam facit dubii quod est aut Practicum, in  
quo nimirum dubitatur an sine peccato res retine-  
ri possit, quale in mala fide constituit, aut theore-  
ticum alias speculativum, quale habent qui dubi-  
tant an res sit authoris sui hoc autem bonam fi-  
dem non interrumpit, cum taliter dubitans pro  
ignorante habeatur l. 8. l. 37. §. 3. ff. b. t. de l. 2. §. 15.

## Quæstio Quinta.

*An præscriptio currat contra  
ignorantem?*

Quæstio hæc majoris est difficultatis, magisque  
spinosa quam præcedens, quare etiam hanc  
Cæsarea decisione dignam dicit. Besold. delib. jur. l.  
4. quest. 20. negativam tuetur Dn. Lauterbach.  
multos citando Authores qui sententias suæ op-  
nioni conformes in judiciis latae fuisse asserunt, vult  
etiam ut post 100. annos restitutio detur, modo ju-  
sta

sta sit ignorantia vel probabilis , nec cum negligenter quadam conjuncta. Similiter afferit ex causa instrumenti noviter reperti contra præscriptionem longissimi temporis Restitutionem dari , si jumento adseratur ignorantia. Idem testatur Dn. Schilt. Carpzov. allegans . qui majores statuit perinde ut minores ex capite ignorantiae contra præscriptionem cujuscunque etiam longissimi temporis restitui , & ad hoc justam non solum ignorantiam sed & invincibilem requiri , quanquam autem hæcita se habeant in praxi , quoad theoriam Juris Romani tamen affirmativæ inhærendum esse censemus : pro nobis enim militat authoritas *I. 3. C. de prescript. 30. vel 40. ann.* cuius posteriora verba hæc sunt ; *post hanc vero temporis definitiōnē ( nimirum 30. vel 40. ann.) nulli movendi ulterius facultatem patere censemus etiamsi se legis ignorantia excusare tentaverit.* Quæ decisio cum expressa sit , rationcio humano præverti & mutari non potest , adeoque nemini concedendus favor nisi iis personis quæ specialiter privilegiatae ut absentes Reipubl. causa , vel quæ se ipsas defendere ac tueri nequeunt , ut sunt minores , præterea ipsius præscriptionis natura hæc est , ut contra ignorantem fiat ; si enim contra scientem daretur , proximè accederet donationi ; cum donasse præsumatur qui sciens patitur alios rebus suis uti , & si nollet donare , nunquam accidere facile posset , ut per tantum tempus taceret , & sic vix unquam locum habere posset præscriptio.

Quæ-

## Quæstio Sexta. *An possit præscribi juri relu- endi pignoris?*

**D**ubium non est quin præscribi actio pignorati-  
tia possit , cum omnes actiones eandem se-  
quantur sortem , sed quo tempore præscriptio in-  
choetur non adeo clare decisum. Nonnulli volunt a  
tempore possessionis id esse computandum , præser-  
fertim cum talem possessionem paululum post re-  
ceptum pignus bona fides concomitari possit , faci-  
le enim est ut creditor rem detinens oblitus pigno-  
ris eam existimet esse suam , sed hæc sententia no-  
bis non placet ; constat enim solutione non præsti-  
ta usucaptioni pignoris locum non dari cuius cle-  
gantem rationem adfert Doctiss. Dn. Gothofredus in  
Syntag. suo juris universi cap. 6. de usurpat. & usu-  
cap. ubi manifeste sub oculos ponitur demum facta  
solutione actionem pignoratitiam præscribi posse ,  
cum demum existat , antea enim non datur , quippe  
tamdiu creditori licet retinere pignus quamdiu ei  
satisfactum non est. Similiter assertionem nostram  
corroborat Dn. Schilt. th. XII. his verbis. Oblata &  
facta solutione , si pignus hac actione repetere ne-  
glexerit debitor a creditore aut ejus hæredibus vel  
successoribus sine dubio exceptione præscriptio-  
nis actio post longum tempus instituta  
elidi poterit.

F I N I S.

Diss. iur. civ. 42420.